



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtrum incontinentia sit peccatum? 2

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38803**

*Virum incontinentia sit peccatum?*

759

*sup. ques. 155. a. 2. cor. li. 3. c. 18 parum a xviii. co. 1*

**A**D secundum sic proceditur. Videtur, quod incontinentia non sit peccatum: quia ut Augustinus dicit in libro de libero arbitrio \*, nullus peccat in eo quod vitare non potest. Sed incontinentia nullus potest ex seipso vitare, secundum illud Sap. 8. Scio quod non possum esse continens, nisi Deus det. Ergo incontinentia non est peccatum.

**¶ 2** Præterea, Omne peccatum in ratione videtur consistere. Sed in eo qui est incontinens, videtur iudicium rationis. Ergo incontinentia non est peccatum.

**¶ 3** Præterea, Nullus peccat ex eo, quod Deus vehementer amat. Sed ex vehementia divini amoris aliquis fit incontinens. Dicit enim Dionysius quarto capite de divinis nominibus †, quod Paulus per incontinentiam divini amoris dixit, Vivo ego iam non ego. Ergo incontinentia non est peccatum.

*p. 1. non multū re motū ante fin.*

**S E D** contra est, quod connumeratur aliis peccatis, secunda ad Timotheum tertio, ubi dicitur, Criminatorum, incontinentes, immites, &c. Ergo incontinentia est peccatum.

**R E S P O N D E O** dicendum, quod incontinentia potest attendi circa aliquid tripliciter. Vno modo propriè & simpliciter: & sic incontinentia attenditur circa concupiscentias delectationum tactus, sicut et intemperantia, ut supra dictum \* est de continentia.

*qu. prac. art. 2.*

Et hoc modo incontinentia est peccatum ex duplici ratione. Vno modo, ex eo quod incontinens peccat ab eo quod est secundum rationem. Alio modo, ex eo quod se immergit quibusdam turpibus delectationibus.

*c. 8 ad fr. præcipue, so. 5.*

Et ideo Philosophus dicit in septimo ethicorum \*, quod incontinentia vituperatur non sicut peccatum, quod scilicet est per recessum a ratione: sed sicut malitia quædam, in quantum prava concupiscentias sequitur. Alio modo, incontinentia attenditur circa aliquid: propriè quidem, in quantum homo

homo recedit ab eo quod est secundum rationem, sed non simpliciter: puta cum aliquis non servat modum rationis in concupiscentia honoris, divitiarum, & aliorum huiusmodi, quae secundum se videntur esse bona: circa quae non est incontinentia simpliciter, sed secundum quid, sicut supra de continentia dictum est. Et sic incontinentia est peccatum, non ex eo quod aliquis ingerat se pravis concupiscentiis; sed ex eo quod non servat modum debitum rationis, etiam in concupiscentia rerum per se appetendarum. Tertio modo incontinentia dicitur esse circa aliquid non proprie, sed secundum similitudinem; puta circa concupiscentias eorum, quibus non potest aliquis male uti, puta circa concupiscentias virtutum, circa quas potest dici aliquis esse incontinens per similitudinem: quia sicut ille qui est incontinens, totaliter ducitur per concupiscentiam malam, ita aliquis totaliter ducitur, per concupiscentiam bonam quae est secundum rationem. Et talis incontinentia non est peccatum, sed pertinet ad perfectionem virtutis.

Ad primum ergo dicendum, quod homo potest vitare peccatum & facere bonum; non tamen sine divino auxilio, secundum illud 1o. 14. Sine me nihil potestis facere. Unde per hoc quod homo indiget divino auxilio ad hoc quod sit continens, non excluditur quin incontinentia sit peccatum: quia ut dicitur in 3. Ethic. \* quae per amicos possumus, aliquando per nos possumus.

Ad secundum dicendum, quod in eo qui est incontinens, vincitur iudicium rationis, non quidem ex necessitate, quod auferret rationem peccati: sed ex negligentia quadam hominis non firmiter intendentis ad resistendum passioni per iudicium rationis quod habet.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit de incontinentia per similitudinem dicta, & non proprie.

94. prec.  
2. 1. ad 3.

c. 3. a me  
dio, to. 5.